



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

VI. De aptitudine vniuersalis ad essendum in multis & prædicandum de
multis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

enim similitudinis non potest esse nisi inter extrema similia. Respondeo in vniuersali non significari indiuidua vt similia formaliter, & positivè, sed materialiter, & negativè, quia tantum significantur non differentia inter se propter similitudinem fundamentalem, quam habent, quæ apparet veluti quædam identitas, cum propter illam non possit intellectus vnum indiuiduum ab alio discernere.

PUNCTUM VI.

De aptitudine vniuersalis ad essendum in multis, & predicandum de multis.

1 **T** Homines ferè omnes, in quibus est Rub. q. 4. proœcial. n. 58. qui censent vnitatem vniuersalis esse ens rationis, eodem modo de aptitudine vniuersalis ad essendum in multis philosophantur, qui reiiciendi sunt rationibus infra dandis, & ex his, quæ contra illos de vnitatem vniuersalis tradidimus. P. Fonseca, & alij, qui nescio quam vnitatem multis communem naturæ intrinsecam meditantur, aptitudinem ad essendum in multis eodem modo intrinsecam eidem naturæ largiuntur, qui eodem modo reiiciendi sunt circa præsentem difficultatem, quo reiecti sunt circa vniuersalis vnitatem. Hurtadus, Arriaga, & ferè omnes recentes, qui asserunt vnitatem consistere in cognitione, in eadem aptitudinem constituunt, asseruntque naturam esse aptam vt sit in multis, & vt predicetur de multis dicere in natura denominationem quandam extrinsecam à cognitione desumptam. Quid in questione tantum de nomine sentiendum sit, paucis explicabo.

2 Dupliciter potest natura vniuersalis considerari apta esse in multis, aut actu in multis. Primò physicè, & realiter, secundò intentionaliter, seu in ordine ad nostrum intellectum. Dicam prius quid circa aptitudinem, & existentiam physicam sentiendum sit, & postea ad intentionalem procedam.

3 **SIT PRIMA CONCLUSIO:** Existencia realis & physica naturæ vniuersalis in suis inferioribus conuenit illi realiter & physicè ratione partium quas includit. Ratio est, quia hæc existencia nihil aliud est, quam identitas singularium cum partibus materialibus vniuersalis: sed identitas non distinguitur ab ipsa natura identificata: ergo cum singularia, quæ identificantur sint realia; identitas singularium, quæ est existencia physica vniuersalis in suis inferioribus, ab ipsis singularibus non distinguetur, & eiusdem rationis erit cum illis. Consulto dixi hæc existentiam in multis vniuersali realiter conuenire ratione partium, & non ratione totius, quia cum totum non sit reale physicum, sed tantum intentionale, nihil potest illi conuenire ratione sui independentem ab intellectu. Secundò, quia physicè totum nullam aliam habet identitatem cum partibus, præter illam quam singulæ partes habent cum inferioribus; eadem enim inferiora confusè cognita partes vniuersalis constituuntur, & ex hac identitate partium cum inferioribus resultat totum dici cum illis identificari. Itaque sicuti singula indiuidua, quæ in re erant plura, per abstractionem extrinsecè sunt vna natura vniuersalis, sic singulæ existentie indiuiduorum in se ipsis per abstractionem dicuntur vna aptitudo naturæ vniuersalis ad essendum in multis cum accommodata distributione, quæ de pluribus diximus prædictè. Ob hanc rationem doctè dixit Smigletius disp. 4. q. 1. n. 33. posita abstractione sequi ordinem, & aptitudinem naturæ ad essendum in multis, licet enim hanc aptitudinem habeat natura à parte rei, quia reuera est in multis; tamen non habet à parte rei aptitudinem per modum vnius, & cum multis, sed diuisa, & non vna: vnde hæc aptitudo non est realis, sed rationis, quia est fundata in abstractione, quæ fit per rationem. Per ly *rationem* non ficta, sed intentionalis aptitudo intelligenda est.

4 **SECUNDA CONCLUSIO:** Ad actum existendi in multis per identitatem propriè loquendo nulla supponitur aptitudo, seu potentia, quia hic actus tantum dicit identitatem indiuiduorum secum ipsis; nulla autem entitas est potens identificari secum: quia identitas illi conuenit per suammet entitatem, ad quam in eadem entitate nulla potest potentia supponi. Sicuti de aptitudine ad existendum dicam Controv. 2. Metaph. quam dicam propriè non fuisse potentiam, cum quælibet res per se ipsam existat, quod clariùs cernitur in nostro casu; in quocumque enim statu

consideretur entitas, consideratur identificata secum ipsa, sic homo possibilis identificatur cum animali rationali possibili, & homo existens cum animali rationali existenti. Hæc de existentia physica naturæ vniuersalis in multis: venio iam ad existentiam intentionalem.

Duplicem existentiam intentionalem in inferioribus circa naturam vniuersalem contemplantur. Prima, quæ fit per simplicem comparisonem, quæ sine iudicio naturæ cognoscitur, instar respicientis inferiora de quibus potest predicari, quæ conuenientia solet significari per hæc complexa, *natura ad inferiora; natura cum inferioribus; natura in inferioribus*, quæ conuenientia exprimitur quacumque relationi apprehensione, quotiescumque enim apprehendo patrem, apprehendo cum ordine ad filium, nullo iudicio intercedente; & cum quis dubitat an alia sint paria, apprehendit conuenientiam inter astra, & numerum patrem, nullumque conficit iudicium, imò sæpe apprehendimus totam propositionem ab alio prolata, & totum obiectum illius, & nullum iudicium ferimus de illo obiecto; postquam enim ego audio hominem dicentem, *Petrus currit*, sæpe obiecto apprehenso hæret intellectus, nullumque fert iudicium de obiecto proposito. Alia existentia intentionalis fit per comparisonem compositam, quæ formaliter dicit iudicium, ex vi cuius enunciamus hoc esse illud. His præmissis rem definio.

SIT TERTIA CONCLUSIO. Per puram abstractionem naturæ ab inferioribus, quæ iam præcognita supponuntur, natura fit apta, & proximè potens vt comparetur per simplicem comparisonem ad plura indiuidua. Probo hæc conclusionem: Ante ipsam comparisonem nullus potest esse proximior naturæ status ad comparisonem, quam status abstractionis, neque alius actus immediatus simplici comparationi potest excogitari, quam status abstractionis: ergo per hanc abstractionem constituitur natura proximè potens comparari ad plura, seu esse in pluribus per simplicem comparisonem. Ex hac conclusione inferitur aptitudinem ad existendum intentionalem in multis per simplicem comparisonem esse realem intentionalem, siquidem identificatur cum abstractione, quæ est realis cognitio.

QUARTA CONCLUSIO: Existencia naturæ vniuersalis in inferioribus per simplicem comparisonem consistit formaliter in actu, quo intellectus naturam, quam iam à multis abstraxerat ad eam comparat tanquam ad extrema, cum quibus habet conuenientiam, seu identitatem, quam intellectus per illum actum apprehendit, & non iudicat. Probo clarè: esse in multis intentionaliter, dicit vt illud esse in multis, quod in se habet obiectum, habeat in mea intentione, seu in meo intellectu: ergo dicit, quod ego illud cognoscam; ergo dicit meam cognitionem: ergo comparatio naturæ ad multa dicit meam cognitionem: ergo comparatio non composita, seu non iudicativa dicit cognitionem, quæ non sit iudicium: ergo dicit apprehensionem.

QUINTA CONCLUSIO. Hæc comparatio simplex naturæ ad multa, seu hæc apprehensio, in qua sita est prædicta comparatio non habet pro obiecto aliquod ens rationis, neque naturam abstractionem respicit formaliter vt habentem ordinem seu relationem ad inferiora, sed tantum instar habentis ordinem, seu relationem ad illam, eo modo, quo intellectus apprehendit Angelum non vt iuuenem, sed instar iuuenis. Probo hæc conclusionem: composita comparatio naturæ superioris ad inferiora, quæ illam de his prædico, vt cum dico *Petrus est homo, Ioannes est homo*, non habet pro obiecto aliquod ens rationis: ergo neque simplex; vtrique enim est inter obiecta identificata, neque maior ordo, seu relatio cognoscitur ex vi iudicii circa extremorum identitatem, quam ex vi apprehensionis circa eandem identitatem: ergo sicuti iudicium fertur per comparisonem compositam naturæ superioris ad inferiora absque vilo figmento, sic potest dari apprehensio comparans naturam superiorem ad inferiora absque vilo figmento. Ratio à priori est, quia neutra formalis comparatio respicit relationem aliquam formalem ex parte obiecti, quæ esset rationis, quia relatio realis inter extrema identificata nequit reperiri, sed tantum obiectum exprimat modo relatiuo representatum, quasi bis eadem indiuidua cognoscerentur, semel confusè per modum vnius naturæ vniuersalis, & iterum distinctè, ac si distinguerentur ab illo obiecto, quod confusè per eandem cognitionem repræsen-

representatur, eâ ratione, qua contingit in hoc iudicio homo est animal rationale respectu partium metaphysicarum hominis in quo semel ex parte subiecti confusè significatur per terminum homo, & iterum in eodem iudicio, ac si ab homine distinguerentur, seu instar distinctarum ab homine distinctè significantur ex parte prædicari per terminum animal rationale.

9 **SEXTA CONCLUSIO.** Per existentiam intentionalem naturæ in multis per simplicem comparisonem, eadem natura, seu idem vniuersale fit proximè potens esse in multis per comparisonem compositam. Probo hanc conclusionem eadem ratione, quâ probaui tertiam. Ante ipsam comparisonem compositam nullus potest excogitari status proximior ad illam, quàm status in quo natura per simplicem comparisonem cognoscitur in ordine ad indiuidua; neque alius actus potest excogitari immediatior comparationi compositæ, quàm simplex comparatio: ergo per simplicem comparisonem actualem fit vniuersale proximè potens prædicari de pluribus inferioribus.

10 **SEPTIMA CONCLUSIO:** Naturam esse actum in multis per comparisonem compositam dicit actum prædicari de multis per prædicationes, quibus dicimus Petrus est homo, Ioannes est homo, & sic quæcumque alia inferiora de superiori naturâ prædicantur. Hæc conclusio facillimè suadetur: esse physicè naturam in multis, est esse identificatam cum multis: ergo esse intentionaliter in multis est cognosci identificatam cum multis; ergo esse intentionaliter in multis per comparisonem compositam, est cognosci in multis per cognitionem, quæ sit compositio, seu iudicium: ergo dicit iudicium, quo natura prædicatur de hoc inferiori, & iudicium quo prædicatur de illo.

11 Ex his infero puram actualem abstractionem esse potentiam ad comparisonem simplicem actualem, & hanc simplicem comparisonem actualem esse potentiam ad comparisonem compositam, & comparisonem compositam esse vltimum actum vniuersalis, ex vi cuius natura, quæ erat diuisa, & diuisibilis in plura, actu diuisa constituitur, & iam non rursus diuisibilis manet, sicut quantitas diuisibilis in tres plamos, postquam in hos fuit diuisa iam non in eosdem rursus manet diuisibilis: destruitur ergo per actum existendi in multis vniuersalitas naturæ, quia per illum destruitur illius vnitas, & indiuisio, & fit diuisio, & multiplicitas eiusdem naturæ. Diuidi enim naturam in inferiora nihil aliud est, quàm contrahi ad illa, & de eisdem prædicari. Ob eandem rationem destruitur vniuersalis vnitas per simplicem comparisonem, si hæc fiat respectu singulorum inferiorum, vel omnium distributiuè sumptorum, eo enim ipso, quod comparatur ad istud indiuiduum vt conditum à reliquis, contrahitur natura illa comparata ad illud, quod cum hoc indiuiduo, seu inferiori identificatur, quod non potest esse vniuersale, quia tantum in hoc inferiori, & non in pluribus esse erit aptum. Facienda ergo est simplex comparatio naturæ abstractæ sumptæ ad omnia inferiora collectiuè sumpta, nulla factâ distributione partium naturæ vniuersalis ad singula indiuidua per comparisonem ad illa seorsim, seu distributiuè sumpta, quia hac comparatione factâ destruitur vnitas vniuersalis naturæ, & iam hæc non manebit diuisibilis, sed diuisa in plura inferiora. Neque ideo nego posse naturam abstractam ad indiuiduis immediatè comparari ad singula indiuidua, seu ad omnia distributiuè sumpta, sed affirmo huiusmodi comparisonem non constituere vniuersale prædicabile in ratione vniuersalis, potius illud destruere, & diuidere in partes, quas continet prædicabiles, quamlibet de inferiori, cum quo identificatur, quæ prædicabilitas non erit naturæ vniuersalis, neque superioris de inferiori, sed æqualis de æquali.

12 Placet etiam aduerteere has potentias, & hos actus non adeo strictum ordinem actus, & potentie inter se habere, sicuti habent intellectus, & intellectio, & alie potentie cum suis actibus in quibus intercedit stricta dependentia actus à potentia, ita vt sine illa ille dari nequeat, sed laxiori quodam modo, ita vt simplex comparatio, quam dicimus esse actum puræ abstractionis, possit dari sine eo, quod talis abstractio præcesserit; & hæc comparatio ad omnia indiuidua collectiuè sumpta, quæ dicitur potentia ad comparisonem compositam, non necessariò illam debeat præcedere, quia potest intellectus affirmare Petrum esse hominē, & Ioannem esse hominem nulla præcedenti comparatione simplici. Assignatur autem prædictus ordo po-

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. I.

tentie, & actus inter prædictas abstractiones, & comparationes, quia actus illi, quos potentias, seu aptitudines ad alios esse dicimus, plurimum ad illos conducunt, etsi simpliciter neque ipsi, neque alij loco ipsorum necessarij sint. Ob hanc rationem censendum non est cum aliis asserentibus hos actus, quos nos potentias, seu aptitudines cum communi sententia vocamus, non ita esse dicendos, sed tantum condiciones applicantes naturam ex se intrinsecè potentem alios actus terminare propter identitatem, quam habet cum extremis, ad quæ per apprehensionem, vel iudicium comparanda est, & extrinsecè à possibilitate actuum, per quos formaliter est comparanda, & à potentia intellectus ad illos actus, seu ad illas comparationes, formales eliciendas. Tantum enim dicimus hos actus ad illos supponi, & fatemur non supponi vt potentias illorum strictè sumptas, sed illis potentiarum seu aptitudinum nomen sumus imperiti, vt cum communi sententia loqueremur, neque tenuemus concedere potuisse dici hos actus, qui ad alios supponuntur, supponi tanquam condiciones applicantes obiecta, in quæ alia feruntur, verumtamen id non fert communis loquendi modus, cui standum est præcipuè cum parum referat hoc, aut illo modo loqui.

13 Explicatâ iam vnitate, & aptitudine vniuersalis facillè essentia vniuersalis Metaphysici, & Logici deprehenditur, quam facillè assigno in vtroque. De essentia vtriusque vniuersalis tam Logici, quàm Metaphysici est vnitas, & existentia physica in multis per identitatem partium vniuersalis cum suis inferioribus; quia de essentia vtriusque vniuersalis est continere per modum vnus illa, quæ in inferioribus vt plura significantur: ergo de illius essentia est vnitas, & identitas cum inferioribus, quæ dicit existentiam physicam in inferioribus. Essentia vniuersalis Metaphysici dicit vnitatē, & aptitudinem ad essendum in multis per simplicem comparisonem, quia vniuersale metaphysicum dicit naturam purè abstractam in ordine ad inferiora, per quam abstractionem constituitur proximè potens ordinari, seu comparari ad illa per simplicem comparisonem, vt dicebam Conclusionē 3. Essentia verò vniuersalis Logici, quod formaliter includit comparisonem ad indiuidua dicit naturam per apprehensionem comparatam ad collectionem indiuiduorum, per quam comparisonem constituitur apta esse in multis per compositam comparisonem, quod est naturam esse aptam prædicari de multis. Rectè ergo describitur vniuersale metaphysicum *vnus aptum esse in multis* quod esse intelligendum est per comparisonem simplicem ad quam ex vi puræ abstractionis vniuersale constituitur aptum, & vniuersale Logici definitur *vnus aptum prædicari de multis*, cum qua aptitudine constituitur per simplicem comparisonem, vt satis explicui.

PUNCTVM VII.

An natura abstracta ab vno indiuiduo sit vniuersalis.

1 **R**atio dubitandi est, quia natura abstracta ab vno indiuiduo videtur non posse habere vnitatem indiuidualem, quia omnia, quæ ad indiuiduationem pertinent supponimus iam ab illa præcisa, neque aliquid habet per quod differat à naturis reliquorum indiuiduorum, vnde omnibus talis natura communis videtur esse dicenda. Ex alio capite non apparet, quomodo possit esse vniuersalis, quia natura ad illa indiuidua dicit ordinem, à quibus est abstracta: sed tantum supponitur ab vno indiuiduo abstracta: ergo tantum dicit ordinem ad vnum indiuiduum: ergo non est vniuersalis, quia de ratione vniuersalis est dicere ordinem ad plura.

2 Non desuerunt, qui existimarent posse dari vnitatem quandam mediam inter indiuidualem, & vniuersalem, & hanc esse de mente Patris Soarj disp. 6. Met. sect. 1. n. 8. & 9. vbi asserit præter vnitatem indiuidualem dari vnitatem formalem ratione distinctam, quia quot sunt modi diuisionis, tot debent esse modi vnitatis: sed in rebus datur diuisio materialis, & formalis: ergo datur veritas materialis & formalis. Insuper quia vnitas indiuidualis non conuenit naturæ secundum se præcisè, sed necessariò includit aliquid ratione distinctum, vt indiuidua fiat, quapropter essentia abstracta ab indiuiduis non includit vnitatem indiuidui, etiam si includat vnitatem formalem seu essentia.

H Caterum